

CARMEN  
De stupenda & admiranda Nativita-  
te Domini nostri IESV CHRISTI,  
Scriptum  
IN HONO-  
REM NOBILIS  
VIRI, HUMANITATE AC IV-  
RISPERITIA, ORNATISSIMI DN.  
MATTHIAE HOSTAVNSKY A KOSMA-  
CZIOVA, AD TABVLAS REGNI, ORATORIS  
excellentissimæ, Mecænatissimarum,  
& Patronæ suæ colendæ,  
a  
Bohuslao Bavor a Kosmacziova Tusteno,  
Alumno Collegii Nazareth.  
AD ZOILVM:  
Surgenti ingenio vel tandem parce benignus  
Si potes: & Musam Mome relinque meam.  
Si non Castalium redolet perfusa liquorem,  
Est satis hinc surgit si pieratis odor.  
Nemo tibi placuit, quosvis tu rodere pergis,  
Crede tibi ut placeam non ea cura mihi est.  
PRAGÆ,  
Typis mandabat IOANNES  
OTHMARVS.





NOBILI VIRO,  
HUMANITATE AC IURIS-  
PERITIA, ORNATISS. DN. MAT.  
THIÆ HOSTAVNSKY A KOSMACZO-  
va, ad tabulas Regni, Oratori excellentiss.  
Mecœnati studiorum, & Patrono suo co-  
lendo. S. D.

**T**empora labuntur, Phœbeis ignibus ardens  
Auolat hinc æstas, gemmantia prata colore  
Desituuntur, uti culmis Cerealibus arua,  
Prodit hyems, glacie currentes fluminis undas  
Alligat, obdurat, niueo velamine pingues  
Vestit agros, nemorum Boreas prædatur honorem,  
Syboniis niuib. montes arbōsque senescunt,  
Æquora stant constricta gelu, puppesque quiescunt,  
Nauita nil ventos curat nil carbasa, latus  
In syluis venatur apros, damāsque fugaces,  
Nunc pedicas gruibus, nunc cervis retia tendit.  
Ferreæ progenies, agrestis turba, laborum  
Nunc oblita dapes, Cerealibus donāque mensis  
Apponit, curas Bacchōque expectorat omnes  
Stipa jacet, rastrūque procul stat robur aratri,  
Carmina jam ludique placent, risusque procaces,  
Incomptæ passim jaçantur ad æthera voces.  
Nempè dies festiva venit, qua misit ab alto  
Ipse DEUS natum Vnigenam, quem patribus olim  
Promisit toriēs, miseros tandemque reuifit.

A 2

Eni



En quàm lætantur spatiosa palatia mundi,  
 Terra fremit, sensim labuntur flumina, gaudent  
 Muscosi fontes, exultant grandia Cete,  
 Quòd non Angelico, sed Abrâmi semine sumto  
 Nobis assimilis præter contagia labis  
 Factus homo, umbrosis suggesta theatra columnis  
 Elegit, lectum non dedignatus acuta  
 Carice substratum, vixit velut exul & hospes.  
 Quòd Styge destructa tenebrisq; horrentibus Orci  
 Edomuit Sathanam, vicit Plutona superbum.  
 Victor & ex spoliis retulit præclara trophæa.  
 Confregitq; rates, & torui vela Charontis,  
 Ultra ne vehat ille pios Acherontis ad undas,  
 Auertitq; procul damnosa arbitria Minois.  
 Nos sibi restituit raptos de faucibus Orci,  
 Cum patre composuit, deleuit & illius iras,  
 Ut secum tandem nos ducat ad astra Polorum.

Ergò igitur læti festum solenne quotannis  
 Cumq; hymnis odusq; piis traducimus, illi  
 Corriciisq; croci sacramus mollia fila,  
 Illius & plenis veneramur lancibus aras  
 His donis capitur, grata illi hæc tæbura piorum  
 Quin quoq; nunc qui vis dilectus amicus amico  
 Offert, dona suo, & probat hac ratione supremi  
 Muneris esse memor, nobis quæ contulit olim.

Sic ego dona DEI hæc sterili complexus auena  
 Matchia patrone tibi, quem Phæbus in antris

Nutriit

Nutriit ipse suis, Astræaq; juris & aequi  
 Noticiam docuit, facundaq; contulit ora,  
 Optime Mæcenas, studiorum mitto dicòq;  
 Suscipe nec sterilem tu dedignare Camænam  
 Deuincelùmq; tibi non auersare clientem.

Sic te pro nobis olim qui vagiit infans  
 Sospitet ipse DEO natus, facilèmq; senectam  
 Donet, & hoc vitæ decurso tramite, tandem  
 Teq; tuosq; omnes radiantibus inferat astris.

BOHVSLAVS BAVVOR à Kosmaczow  
 vva, Alumnus Collegii Nazareth.

## DE STVPENDA ET ADMIRANDA Nativitate Domini nostri IESV CHRISTI.

Hæc est illa dies niueo signanda lapillo,  
 Qua DEVS unigenam misit ab arce Poli.  
 Quem peperit genitrix nullo cruciata dolore  
 Pnevmatis afflatu, virgo MARIA, sacri.  
 Hæc est illa dies, qua crudelissima quondam  
 Tartarei fuerat vis labefacta ducis.  
 Quis tantam poterit sóργην aquare canendo  
 Humano generi, quam DEVS exhibuit?  
 Nemo, licet centum linguas gerat oraq; centum,  
 Par poterit tantis laudibus esse DEI.  
 Hanc ego dum trepidè sóργην attollere cantu  
 Aggredior, cæptis CHRISTE favere velis.

A 3

Ardua



Ardna res certè est huc te fer **CHRISTE** vocatus,  
Veli volo dum me credere tento freto.  
Te duce sulcabo feliciter aquora remis  
Per mare caeruleum vela secunda dabo.  
Non alium quero, mea tu vestigia firma,  
Ambiguam puppim solus & arte rege.  
Tūq; Thetys vitreo caput effer ab aquore Phœbe,  
Et tristes nebulas discute luce tua.  
Æole fac venti ponant, preme monte ruentes,  
Sunt nobis orta hac, læta quieta, die.  
Arbiter æthereus versat qui sidera nutu  
Humanum lapsum vidit ab arce genus.  
Obiectumq; dolens Sathanae, mortiq; cruenta,  
Narēq; jam Stygio sulphureoq; lacu.  
Non tulit ulterius sic insultare Draconem  
Affligiq; suum sic truculenter opus,  
Promissi memor ipse sui, quod protulit Ada,  
Nec non Abramo quæ dedit ore seni,  
Venturum semen sacra de sede Tonantis,  
Scilicet ut serpens concidat ille malus.  
Mente sua genitum, æqualemq; per omnia **NATVM**  
Victus amore hominum mittit ad ima soli.  
Hic reddat quod perdit Adam, reparētq; ruinam,  
Tartarei vires conterat ipse ducis.  
Ergo venit tandem toti ille salutifer orbi,  
Et fit homo mirum sed sine labe **DEVS**:  
Mortali.

Mortali sine Patre satus, sed Numinis aura  
Est incarnatus virgine de **MARIA**.  
Quæ partus mirata suos expersq; martyi,  
Agnouit **CHRISTVM** se peperisse **DEVM**.  
Hūncq; carens lecto bouis in præsepe reclinat,  
Et quamuis duro stramine membra ligat.  
Fœnum est puluinar, spondarum stragula stramen,  
Vestēq; pro molli stramina membra tegunt,  
Oscula nunc figit, nunc flentem carmine mulcet,  
Nunc solatur eum, nunc ope lactis alit.  
Ne vagi formose puer ne pusio vagi,  
Ne vagi mea spes unica filiolo.  
Bruta creatorem agnoscunt animalia, & ejus  
Fumifico flatu membra tenella fouent.  
Illius adventum tristis mox sensit **Avernus**,  
Æquorei fluctus, sidera, terra, **Polus**.  
Sensit & imbrifero pallens **Autumnus** hiatu,  
Immanis **Boreas**, & glacialis hyems.  
Latius aurato conjunx **Tithonia** curru  
Iuit ab **Atlanteis** fluctibus iuit equis.  
Flauit ab occiduo tepidēq; **Fauonius** orbe,  
Quem **Zephyrum** **Graia** constituere notæ.  
Non hyemem sensere die hac **Boreamq;** niualem,  
Sed molles **Zephyros** sensit & **Etesias**.  
Nec moribundus olor nec tu **Pandionis** ales  
Cessastis lætos ore ciere modos.

Tunc



Tunc lyra, tunc cithara, tunc tympana rauca sonabant,  
 Quæ genitrix Diuûm tu Berecynthia amas.  
 Dùmq; ferè mediam tetigit nox humida metam,  
 Mutaq; cum canibus quæq; sedebat auis,  
 Labitur æthereis iuuenis caducifer oris  
 Angelus, & pecudum visit aditq; Duces.  
 Parcite ait metui, felix ego nuncius adsum,  
 Cordibus & vestris gaudia magna fero.  
 Conticuere omnes, intentiq; ora tenebant,  
 Corripuit gelidus membrâq; cuncta tremor.  
 Læta dies tandem veniens affulsit amæno  
 Vultu, qua clarus gaudet ouâtq; Polus.  
 Est vobis natus Saluator **CHRITVS IESVS**,  
 Pnevmatis afflatu virginis ex utero.  
 Illum prædixere pii olim carmine vates,  
 Et pluerè hunc rorem sæpè rogare patres.  
 Vt misera Stygio gentis sit victor ab Orco,  
 Atq; iterum reddat cœlica regna piis.  
 Auribus hæc audis igitur mea sumite verba,  
 Immemores vestri haud vos decet esse **DEI**.  
 Est in Iudæa (Bethlâm dixere priores)  
 Parua urbs, sed cunis nobilis illa **DEI**:  
 Hesperias propius vultus metitur ad oras,  
 Quam celebris quondam terminat arx Tyria.  
 Non procul hinc fluius Iordan peramabilis ille  
 Labitur, & riuus temperat arua suis.

Ferte

Ferte citi gressus, cœlestes visite cunas,  
 Supremiq; Patris noscite progeniem.  
 Hoc signum vobis, puerum in præsepe jacentem:  
 Inuenietis, ibi bos & asellus adest.  
 Hæc ubi dicta: statim placidis concentibus æther:  
 Insonat, aligeri vox fuit illa gregis.  
 Gloria sit summo per secula cuncta Tonanti:  
 Aurea jam terras paxq; quiesq; colat.  
 Paxq; quiesq; colat terras, & amica voluntas  
 In genus humanum mitior ira **DEI** est.  
 Latè igitur pecudum custodes atq; Magistri,  
 Festini Bethles paruula tecta petunt.  
 Inueniunt puerum, vultus mirantur honorem,  
 Et proni solvunt talibus ora modis:  
 Salve **NATE DEI** nostræ spes certa salutis,  
 Salve vita hominis portus & aura, puer.  
 Venimus ad cunas tibi proni vota litamus,  
 Tu cape deuota munera parua lyra,  
 Te natum trepidat nigri vel janitor Orci,  
 Qui Stygiam vectat nauta Charonq; ratem.  
 Tenatum celebrant sunt quotquot in orbe fides,  
 Cantantes dulci voce Genethliacon.  
 Respice nos diuine puer, partæq; salutis  
 Participes etiam **CHRISTE** benigne velis.  
 Talibus orantes humectant fletibus ora,  
 Ad teneros ouium rursus cunctq; greges.

B

Apparet



Apparet cælo radios tollitq; coruscus,  
Lucidior Phœbi stella serena face.  
Eoo ciet ore Magos, veniuntq; feruntq;  
Aurum, thus, myrrham, munera magna DEO:  
Iamq; propinquabant Solymæ mœnibus urbis  
Quæ fuerat dubiis præmia stella latet.  
Herodis subeunt immitis tecta Tyranni,  
Inquirunt Regem sollicitiq; novum,  
Herodes stupuit stellæ fulgore recentis,  
Vaticidum subito consuluitq; chorum.  
Orâclo vatum tandem cum certior esset,  
Bethlema genitum velat in urbe Magis  
Disimulans fraudem fallaci subdolos ore  
Dicta dat Eois talia deinde Sophis:  
Ite gradu celeri, terræ sulcate pruinas,  
De puero ad nostros verba referte lares,  
Illius ut ponam Panchaia thura per aras,  
Suspendamq; suo grandia dona tholo.  
Vix ea fatus erat, summo cum murmure proni  
Ad Bethlemiacos (fas ut) iere lares.  
Sudat equus velox spumas agit effusus ore,  
Concutitur tellus quadrupedante pede.  
Nec mora puniceo rursus prodibat amictu,  
Lucidaq; ignotum stella regebat iter.  
Aduentant reges alienis disiti ab oris,  
Et secum puero grandia dona ferunt.

Intrantes

Intrantes stabulum tali voce ora resoluunt:  
Salve NATE DEI de genitrice sate.  
Pusio ter salve propria qui sede relicta  
Visisti nostros paruule Christe lares.  
Salve virgo DEI cælestus conscia partus,  
Salve vera DEI vera hominisq; parens.  
En tibi parua damus, dantes ne despice Christe,  
Dona, sed hæc æqua mente probare velis.  
Hac ubi dicta dedere suos petiere penates,  
Ignotum per iter sic operante DEO,  
At leuis æthereis delapsus somnus ab astris  
Quassauit cani tempora rite senis.  
Aiger è cælo stabulo se immisit aperto  
Flammiferos vultus ore micante ferens,  
Iosephum affari, curasq; his demere dictis  
Incipit, hic adsum: iussa Dei, fero:  
I procul à patria Phariis esto exul in oris  
Assumpto puero cum genitrice DEI.  
Postera dumq; dies claro surgebat Eoo,  
Phæbus & ex vitreo prodiit ipse mari,  
Ex stabulo tremulus confert se in regna Canopi,  
Illic septem annos exigit exul, inops.  
Interea Herodes spe quod lactatus inani est,  
Rescit & à iussu degenerasse Magos.  
His super accensus Bethlâm iubet ire ministros,  
Infantes teneros turba nefanda necet.

B 2

Ecce



Ecce iter arripiunt, raptosq; in limite vitæ  
Maclant ærata cuspide & ense, secant:  
Membra tenella cadunt, fadantur sanguine cunæ,  
Lætentum rosea cædēq; terra madet.  
Ut procumbit humi flos vomere læsus adunco,  
Sic cadit hac rabie turba nouella virūm.  
Exululant miserae matres, luctu insonat æther,  
Concutiunt pectus dilaniantq; comas.  
Non tulit has furias, tantosq; tyrannidis ausus,  
Exegit pœnas iusta sed ira DEI.  
Herodēs toto serpit de corpore vermis,  
Inuisāmq; animam Styx rapit atra viri.  
Cum fremitu, & pœnas pendit Phlegetonte tyrannus,  
Inunc & superos dic nihil esse DEOS.  
Tu quoq; non nocuā qui te nunc cæde piorum  
Imbuis, ultorem non fore crede DEVM.

O Veneranda dies summus qua rector Olympi  
Ex Maria est verus virgine factus homo.  
O bonitas, & summa DEI clementia Patris,  
Laudibus æternūm concelebranda piis.  
O amor, o nunquam pietas æquanda canendo,  
Quam DEVS huc misso contulit Vnigena.  
Ut restauraret dotem quam perdidit Adam,  
Induit ecce Deus debile carnis onus.  
Labitur è cælo quo nos super astra feramur.  
Errat inops: cæli ut sede quiescat homo.

Ut simus

Ut simus Stygianos libera turba palude,  
Victor Tartarei conterit arma Ducis.  
Portitor ille Charon mæstus remosq; ratēq;  
Deplorat, Stygios ipse natātq; lacus.  
Ante thronum patris supplex hic crimina mundi  
Diluit, & mundo pandit ad astra viam.  
Quis tamen hæc animo reputat, quis pectore grates,  
In superos ecquis deniq; gratus adest?  
Maxima pars hominum placida & secunda salutis,  
Durāq; sub duro pectore saxa gerit.  
Sunt quos offendit despecta cubilia CHRISTI  
Ebria diuitiis turba sepulta suis.  
Atqui pauperies Christi hæc nos ditat abunde,  
Felix, qui Christo paupere gaudet, homo.  
Quare agite o miseri verae pietatis alumni  
Omnes, quos placida cura salutis habet.  
Carmina cūmq; odis pleetro meliore mouere,  
Atq; preces supero sæpè litate patri.  
Vana superstitio risus absintq; procaces  
Dentur ut arcanis mollia thura focis.  
Qui causa nostri non dedignatus in orbe  
Duri seruitii sponte subire jugum.  
Qui si non esset natus, nos callidus hostis  
Omnes tartareis detinuisset aquis.  
O igitur salve soboles & imago parentis,  
Immanuel salve λύτρον & æquiualens.

B 3

O salve



O salve Siloh, salve dux magne Davidis,  
 Icon supremi patris & Vnigena.  
 Salve nate DEI propria qui sede relicta,  
 Dignaris nostros pauper adire lares.  
 Salve iterum Siloh spes salve certa salutis,  
 Tu vitam donas quæ sine fine manet.  
 Salve spes patrum, salve lux gentibus orta,  
 Perdita qui reparas & reparata beas.  
 Salve stella Iacobi, flos radicis IESSÆ,  
 Salve supplicibus portus, & aura reis.  
 Presidium lapsis, miseris solamen IESV,  
 Vnica lux cæcis fontibus una salus.  
 Venisti tandem cupidos nec fixa fefellit,  
 Spes animos, patris pollicitiq; fides.  
 Ergo tuæ nos cum pastoribus oscula plantæ  
 Figimus, ante tuos da cubuisse pedes.  
 Supplicibus votis stantes adolemus & aras  
 Suscipe non dura mente vocare preces.  
 Te petimus, fac nos tantæ pietatis amorem  
 Iugiter infixum pectore ferre pio.  
 Gratia nêue cadat meritorum tanta tuorum,  
 Vt fieri vaslo semper in orbe solet.  
 Fac tua clarescant ingrato nomina mundo,  
 Et te Messiam climata quæq; colant.  
 Nos pariter foueas, pariter tuearis egenos,  
 Surgat ut è nobis grata caterva tibi.

Fac

Fac coalescamus tecum omnes corpus in unum  
 Et simus massæ portio grata tuæ.  
 Gratuita pietate tuâq; remittito culpam,  
 Nec cessa precibus sollicitare patrem.  
 Perfice ut à morte & diro Phlegetonte redempti  
 Vnum te ardenti pectoris igne colant.  
 Cumq; nouum Phœbus reuolubilis inchoat annum,  
 Da placidos nobis ire redire dies.  
 Si quæ fata manent, velut aspera quæmq; piorum  
 Sors manet, hæc leni pro bonitate tua.  
 Christe gregem defende tuum quem cruda tyrannis  
 Extinctum totis viribus esse cupit.  
 In te spem posuit firmam, te pendet ab uno  
 Tu portus laceræ puppis, & aura manes.  
 Sic tibi seruati te laude sub astra feremus,  
 Qui rabiem hostilem, vimq; dolūq; premis.

ANNO DOMINI,  
 M. D. XIC.





CARMEN  
DE PASSIONE  
IUXTAQUE GLORIO-  
SISSIMA A MORTVIS TERTIA  
die resurrectione, & triumpho D. N.  
I. C. Scriptum à

BOHVSLAD BAVVOR A KOSMA-  
czovva Tusseno.



Ero mors tua, ô mors : morsus tuus  
ero inferne. Oseas 13.

